

Disquisitionum practicarum gumnasma vicesimum-seximum, naturam liberalitatis...

Wanochius, Andreas Jacobi,

11 Ae 8:o



IN NOMINE JESU!
DISQVIVITIONUM
PRACTICARUM

ΓΉΜΝΑΣΜΑ VICESIMUM - SEXTUM,
Naturam LIBERALITATIS, tam *absolute*,
quam *in gradu eminentia posita*, hoc est,
MAGNIFICENTIÆ, primum quidem qua
κατασκευη, inde vero qua ανασκευη &
αξιωματα delineans:

Quod

BENEDICENTE ALTISSIMO!
Adprobante Ampliff. FAC. PHIL.
In Reg. Acad. Aboënsi,
PRÆSIDE

M. AND. WANOCHIO,

Philof. Pract. & Hist. Prof. Ord.
*Liberalis exercitii gratia, publico doctorum
examine sistit*

MICHAEL HENR. STIGELIUS,
NYL.

Ad d. Febr. Anni M. DC. LXXXIIX.
In Auditorio Superiori.

Exc. apud JOH. L. WALLIUM, A.T.



Nobilissimo Domino,

DN. CLAUDIO BOYE
Dn. de Gennôs &c. Equitum Magi-
stro fortissimo, Meccenati & Bene-
factori sue promptissimo.

Pl. Rev. atq; Clarissimo

D.M. GABRIELI TAMMELINO,

Ecclesiæ Lojoënsis Pastori vigilan-
tissimo, nec non adjacentium Præpo-
sito dignissimo, Promotori & Fautori
omni animi observantiâ prosequêdo.

DN. JOHANNI THORWÖSE

Officinarum ferrariarum, quæ in
Antistoah och Silliare vigent, curatori
attentissimo, Evergetæ & Fautori æ-
tatem devenerando.

DN. PETRO THORWÖSE

Ferrifodinæ Nyl. quæ in Swarta
florete, Curatori vigilantissimo, Fau-
tori & Benefactori pl. colendo.

Reverendo atq; Doctissimo

DN. HENRICO STIGELIO,

Ecclesiæ, quæ in Karis Deo colligitur, Pa-
stori meritissimo, Parenti meo, filia-
li amore & debita animi observa-
tia suspiciendo.



Nobilissime, Pl. Reverendi, Pru-
dentissimi, & Spectatissimi Viri.

Quandocunque in memoriam revo-
co, DNN. Evergetæ, Parens, &
Fautores honoratissimi, insignem illam
im meritumque favorem, quem in me,
ubiq; temporum & locorum, impendistis,
nec non magna illa beneficia, quæ cu-
mulatissime in me contulistis, pecca-
rem profecto, & nomen subire viderer,
quod officiperda dici solet, si isthæ o-
mnia ingrata mente recompensarem,
nec aliqua saltem parte tenus demereri
laborarem. Vobis igitur, DNN. Ever-
getæ &c. ut aliquod officii signum &
nunquam intermoritura memoria re-
linquam, hocce tirocinii rudimentum in-
scribo; qua possum animi demissione con-
tendens, ut strenuam hanc qualemcu-
que

que benigne & comiter inspicere dignemini. Interim DEUM T. O. M. devotis fatigo precibus, ut annum hunc labentem feliciter & pie transigatis, munia vestra, ad quorum functionem NUMEN Vos evexit divinum, incolumes obeatis, in SUI Nominis gloriam, Reip. & patria incrementum, nec non familiarum vestrarum, Nobilitate & decore fulgentium, decus & emolumentum! vovet

Vobis ad officia & obsequia
devotissimus

MICHAEL STIGELIUS.

CAP. XIII.

DE LIBERALITATE & MAGNIFICENTIA.

SECTIO I. καθ' ἄσκειαν.

S. I.

Cur Fortitudini & Temperantia, mox in ordine Virtutum subjungatur Liberalitas, non adeo moramur; quin potius ad ipsam hujus virtutis considerationem propendamus. Quod autem I. ad Notationem vocis attinet, constat Liberalitatem dici, vel (α) a libero, cum hominem liberum imprimis ornet, frequentiusve in eo reperiat ac in servo; quod ipsum Græcorum ἐλευθεριότης, ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας (quæ vox liberum, immunem, denotat) confirmare videtur; vel (β) a liberando, partim quia liberalis alium liberat a paupertate, partim quia semet ipsum liberat a servitute divitiarum, quarum se dominum & contemptorem, non servum esse aut mancipium (ut multi earundem sunt mastigæ vilissimæ) ostendit. Allusiva porius est illa notationis ratio, quæ Liberalitatem a libando deducit, quam propria. II. Vox Liberalitatis est æquivoca: significat enim (α) quandoque quamcunque beneficiam

Ecc

centiam

centiam, acceptione vocis *propria* quidem, sed iusto *latiori*: (β) aliquando *beneficentiam*, quæ est sumtuum modicorum aut mediocrium, uti *Magnificentia* contradistinguitur, & hic infra definienda venit; idque significatione *Propria* & *adequata*. Sed nec (γ) infrequens est *Liberalitatis* acceptio, præsertim apud vulgum hominum, cui vitia fucata virtutum specie sæpissime imponunt, qua *prodigalitatem* designat; quæ quidem acceptio est *abusiva* & *impropria*. Synonyma Latina, si *beneficentiam* excipias, quæ tamen & ipsa *Liberalitati* non adequatur, fere nulla invenies æque usitata. Græcis dicitur ἐλευθεριότης, aliquando etiam χρηστότης, εὐεργεσία, quamvis, uti apud Latinos, vocibus licenter & in sensu liberaliori captis. Hebræis concretum כִּיבֻן est familiarius, quam abstractum חֶסֶד, scilicet quantum ad virtutem *Liberalitatis* hujus natura - moralis.

§. II.

Ratio definiendæ *Liberalitatis* est varia, præsertim si ad formam verborum attendatur. Aristoteles ita *lib. IV. Eth. c. 2.* ἐλευθεριότης ἐστὶ μεσότης περὶ δόσιον χρημα.

χρημάτων καὶ λήψιν : Ex qua & hæc
 sequens est expressa : LIBERALITAS est vir-
 tus servans mediocritatem, circa modicas
 pecunias, honeste dandas vel accipiendas.
 Quæ tamen definitio Liberalitatis est ab-
 soluta, de qua hic agitur, non vero in
 gradu eminentiæ posita. Hic observa I.
 quod Liberalitas sit Virtus : probat id
 peculiare objectum, tam materiale, ἢ
 χρημάτων ; Quam formale, legitimus τῶν
 χρημάτων usus. Probat etiam hoc Aristo-
 teles inde, quia opibus & bene uti, & ab-
 uti possumus : ὧν δὲ ἐστὶ χρεία τίς, ἐστὶ
 τῶν χρημάτων καὶ εὖ, καὶ κακῶς. I. c.
 Ergo : Circa quas res possumus pecca-
 re, iisdem abutendo ; circa eas ipsas re-
 quiritur virtus docens rectitudinem, ne
 in excessu, aut defectu peccetur : Circa
 opes & pecunias, etiam modicas ac me-
 dioeres, potest peccari. E. Eximium est il-
 lud Ciceronis : Non ita claudenda est
 res familiaris, ut eam benignitas aperti-
 re non possit : nec ita referanda, ut omni-
 bus pateat ; sed modus est habendus, is-
 que ad facultates referendus. Ita Seneca :
 Dabo egenti, sed ut ipse non ege-
 am ; sic succurram perituro, sed ut ipse
 non peream, Ecce §. III.

II. *Objectam Liberalitatis materialis*, & quidem *externam*, sunt τὰ χρήματα, vel, ut alii loquuntur, *pecunia*, saltem minores & mediocres. Ubi iterum nota, (α) τὰ χρήματα hic non esse consideranda ratione κτήσεως, seu possessionis, verum ratione χρήσεως, seu usus, unde etiam χρήματα dicuntur: Virtutis enim laus non in habitu aut possessione, sed in actu consistit: nec sane liberalitatem e divitiarum splendore aut multitudine iudicare decet, cum plerumque evenire soleat, quod homines *Crasso* aut *M. Crasso* ditiores, non modo non sint liberales, verum etiam tenaces, avari, sordidi. Scilicet idem est *medii & extremorum* objectum materiale ac remotum; sed diversum objectum formale: jam vero objectum *Liberalitatis* materiale, pariter ac *Illiberalitatis*, sunt τὰ χρήματα: ergo formale *Liberalitatis* objectum est honoratus τῶν χρημάτων usus: hoc est; *Liberalitas* non versatur simpliciter circa τὰ χρήματα; sed ratione δόσεως καὶ λήψεως. (β) Tenendum, quod, cum *pecunia*

pecunia ponitur objectum hujus virtutis materiale, *Pecunia* sumatur *generaliter & late*, non *strictè* aut *proprie*: accipitur enim *pecunia* vel (1) ἔσιωδως, pro moneta, Regis aut Magistratus sigillo signata, qua in contractibus & permutationibus rerum uti solemus: τὸ γὰρ νόμισμα σοιχείον καὶ πῆρας τῆς ἀλλαγῆς ἐστίν. Arist. l. I. Pol. c. 9. ὁ γὰρ χαρακτῆρ ἐτέθη τῶν πρὸς τὴν σημεῖον; nota enim impressa est ad quantum significandam. Arist. ibid. Vel (2) ἀναλόγως, proportionaliter, pro omni re, cujus usus pecunia estimari solet: χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται; h. e. ebremata dicuntur omnia, quorum dignitas, aut pretium pecunia aestimatur. Arist. l. IV. Eth. c. 1. Internum Liberalitatis Objectum est amor & cupiditas divitiarum.

§. IV

III. Objectum Liberalitatis formale & propinquum, vel potius *modus* tractandi objectum, est *honestus & legitimus facultatum usus*, qui in dando & accipiendo conspicitur. Dixi (a) *honestum usum*: qui ergo dat animo lucrandi, corrumpendi, ad-

*blandiendi, ostentandi &c. liberalis non est. (β) In dando: ubi per τὸ δᾶν intelligitur, non solum donare, sed & facere sumptus, eosque rebus necessariis impendere. (γ) In accipiendo: per τὸ ἀρᾶν significatur & capere, & custodire seu servare. Hinc itaq; constat, quod Liberalitas non tantum in dando, verum quandoque in accipiendo consistat, quia utroque modo peccari potest: ergo, ut Liberalitas corrigit prodigum, ne nimis det, ita & avarum, ne nimis accipiat; etiam si magis dationem, quam acceptionem respiciat: Virtutis enim magis proprium est τὸ εὖ ποιεῖν, quam τὸ εὖ πάσχειν: imo, beatus est dare, quam accipere. Ad. XX. 35. Ex hisce etiam liquet, Parsimoniam non esse sejungendam a Liberalitate, ratione objectiva, quatenus respicit alium; quia hujus est basis: Unde tritum illud: Bonus Servatius facit bonum Bonifacium. Potest tamen ratione subjectiva, qua parsimonia respicit nos ipsos, etiam ad Temperantiam referri; quod facit Vendelinus *Phil. mor. l. I. c. 18.* Exempla Liberalitatis & sacra & profana sunt fere innumera. Sacra sunt Patriarcha,*

Job,

Job, David, aliique sancti DEI homines: *Profana*, *Cimon*, qui familiares semper adolescentes habebat comites, qui nummos ferebant cumulate, & in foro inopibus se adungebant: si qui honesti erant, iis silentio eos in manus iniiciebant. *Cornelius* Imperator, qui diem se perdidisse opinatus est illum, quo non illustre aliquid liberalitatis specimen edidisset. *Sveton.* *Alexandri M.* liberalitas fere modi fuit nescia. *Ptolomæi* Regis erat apophthegma, τὸ πλεῖον τὸ πλεονεξεῖν εἶναι βασιλικώτερον; magis esse regium ditare, quam divitias possidere. Quæ fuerit *Gloriosiss.* *Sveciæ* REGUM liberalitas, annales explicanti abunde constat.

§. V.

Officia *Liberalitatis* huic compendio includimus; I. *Liberalis* in dando & accipiendo habebit rationem *Principii*, id est, animi, quo dat vel accipit, siquidem potissimum *Liberalitatis* respectus ex animo dependet. Probatum hoc (α) exemplo *Israelitarum*, ad structuram tabernaculi lanam etiam caprinam conferentium, quæ tamen oblatio DEO grata erat, cum fuerit & spontanea, & pro ratione facultatum

tatum conferentis. Exod. xxxv. 7. 21. (B)
DOMINUS dicit Luc. xxi. 3. de vidua
 paupercola, quod duo λεπτά, minuta,
 mittens in gazophylacium, plus miseris
 omnibus divitibus pro tunc: rationem
 vide illie, Hilarem datorem diligit DEUS.
 2. Cor. ix. 7. Sir. xv. 11. Ita (Y) iudicat
 Aristoteles lib. IV. Eth. cap. 2. εἰ γὰρ ἐν
 τῷ πλείοσι τῶν δίδοντων τὸ εἰσφέρειν,
 ἀλλ' ἐν τῇ τῆ δίδοντι εἶσι: non enim in
 multitudine eorum que dantur, sita est
 vis liberalitatis, sed in habitu ejus, qui
 dat. Idem dicunt, qui praxin Liberali-
 tatis esse ferunt vel interiorem, vel ex-
 teriorem: hinc & illud: Quorundam ma-
 lo iudicium, quam beneficium. Vide Ci-
 ceronem in Off. Unde manet formam
 vere erogationis esse, quod εἰς ἀνθρώπους,
 sed ἀλόπως καὶ ἡδέως debeat fieri:
 ὡ γὰρ καὶ ἀρετὴν ἡδὺ καὶ ἀλόπων. A-
 rist l. iv. Eth. c. 2. Ex his & illud fuit,
 (d) quod prompto animo fit dandum, nec
 dicendum, revertere cras. Prov. iii. 28. Gra-
 tia qua tarda est, ingrata est gratia
 πάντως: Gratia qua prosperat, gratia gra-
 tia magis. Bis dat, qui cito dat.
 Hinc Hebræi proverbio sat eleganti
 dicunt

dicunt: } *קורבן נסל* hoc
 est; *praterit tempus, perit oblatio.* II.
 Habebit rationem *Subiecti*, hominis illius,
 cui dat. Scilicet *Liberalis*, secundum
 Ethicorum monita, non cuivis, sine di-
 scrimine, debet patere; sed illi, qui dignus
 est. Sic Seneca de Providentia: *Benefi-
 cium dando recipit, qui digno dedit.* Et
 versa vice, illud Ennii extollit Cicero *L.*
*II. Off. Benefacta male locata, malefa-
 cta arbitror.* At cuivis *extreme* indigo,
 etiam *improbo*, modo ad exercendam ne-
 quitiam nostro beneficio non abutatur,
 ad sublevandam necessitatem debemus suc-
 currere: Quia (α) *jubemur diligere ini-
 micos nostros, & benefacere osoribus no-
 stris* Matth. V. 44. &c. *Omni petenti a te,
 da.* Luc. VI. 30: &c. Quia (β) *DEum
 eo ipso imitatur, qui solem suum produ-
 cit super malos & bonos, & pluit super
 justos & injustos.* Matth. V. 45. Quia
 (γ) *dignitatem accipientis supplet exre-
 ma egestas.* (δ) *Quia perseverantia im-
 proborum in malo est DEO perspecta,
 nobis vero ignota: Optima credimus,
 eademque semper speramus; idcirco seria
 cum admonitione beneficia in tales inpr-*

mis sunt conferenda, scilicet, ne benefi-
 cia nostra convertant in perniciem Ec-
 clesiæ, Reipub. nostrumque incommo-
 dum. Quod vero Aristoteles vetat in *se-
 nes & pueros* conferri beneficia, eo ipso
 prodit suum ethnicismum & iudicium
 carnale. III. Habebit rationem *Ob-
 jecti*, seu *qualitatis* rei dandæ, scilicet an
nostra sit, an *aliena*? an munus acci-
 pienti *profit*, an *obfit*? Qui de *alieno* lar-
 gitur, & quidem propriis auspiciis, is non
 liberalis est, sed aut insigniter fatuus, aut
 extreme imprudens. *Sunt multi*, inquit
 Cicero in *Off. qui eripiunt aliis, quod
 largiuntur; id tantum abest ab officio,
 ut nihil officio magis possit esse contrari-
 um.* Ergo succurrendum aliis in τῶν
 ὑπαρχόντων, ut mulieres a DOMINO sa-
 natæ ministrarunt ei. Luc. VIII. 2. 3. ¶ Si-
 militer qui largitur *Studio nocendi*, ille
 non liberalis, sed perniciosus est assen-
 sator, uti Cicero tales appellat l. I. *Off.*
 IV. Habebit rationem *Mensuræ & quan-
 titatis*, ne benefaciendo aliis semet ip-
 sum exhauriat. *Quid enim est stultius,*
 ut iterum Cicero l. II. *Off. quam quod
 libenter facias, curare, ut id diutius fa-
 cere non*

tere non possis? Caritas incipit a semet ipsa. V. Habebit rationem loci, ut, quæ honoris ergo conferuntur, *publice & palam* fiant; quodtamen Magistratui & Superioribus imprimis convenit: quæ vero sublevandæ egestatis gratia, *privatim & tacite* fiant, necesse est. Vide Matth. VI. 3. VI. Habebit rationem *Finis*, qui debet esse τὸ καλόν, *honestum*: quicquid enim vir liberalis facit, τὸ καλὸν ἕνεκα facit. Unde patet, quod Liberalis non sit (α) ille, qui munera dat; ut majora recipiat: nec (β) ille, qui liberalitatem simulat captandæ auræ popularis gratia; neque (γ) is, qui munera profundit, ut ad gradus honorum evehatur; sicut Tiberium Graccum factitasse legimus; ast antiquis hac in parte exemplis opus non est, cum præsentia habeamus & domestica etiam in vulgus nota. Male, male, inquam, se res habet, cum quod *virtute effici debet, tentatur pecunia*. Cic. I. II. Off. Nedom (δ) ille liberalis est, qui largitur, ut causam in iudicio obtineat. Loquatur hic cujusvis cordati conscientia. Nec denique (ε) iste, qui propter voluptatem quamcunque alios muneribus

812 (DIQUISIT. PRACT.)
neribus afficit. Alexander M. atro car-
bone eo notandus, quod præmia potato-
ribus proposuerit, & ex illis Promachum,
hominem bibacissimum, in vini certami-
ne victorem, talenti corona donaverit,
tribus tantum postea diebus superstitem.
Plut. in Alex. Tale quid de Tiberio Imp.
tradit historia.

§. VI

Qui munera accipit, cogitet (α) illud
ex Act. XX. 35. Quoniam ipse (DOMINUS)
dixit: μακάριόν ἐστι δίδοναι μάλλον ἢ λαμ-
βάνειν, (β) Non debet indifferenter ab
omnibus accipere, quocumque sine & ani-
mo, quacumque ratione exhibeatur; sed
si pauperior est dator, & magis indigus,
cogitet de compensando; si iniquus, latro,
fur &c. videat ne aliena peccata in se de-
rivet. (γ) Qui munera accipit, videat, ne
ἰσπορολείαν, vel Simoniam exerceat; quam
B. Lutherus Comm. sup. XXIII. cap. Gen.
ita definit: *Simoniam est emptio, vel ven-
ditio rei spiritualis pro pecunia, quando
quis accipit pecuniam, & dat donum, vel
rem spiritualem.* Secundum jus Canon.
Can. I. q. 1. c. Qui studet) est studiosa vo-
luntas emendi vel vendendi aliquid spe-
rituale

*rituale, vel spiritali annexum, opere
subsecuto. Vide pii & gravissimi Theo-
logi, B. D. Valtheri Dissert. de Muneri-
bus. Elegans est lusus Mantuani metricus
de Simonia Romanensium:*

--- Venalia nobis
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Co-
rone,
Ignis, Thura, Preces, Caelum est venale
DEUSque.

S. VII.

*Extrema Liberalitatis sunt, (α) in ex-
cessu Prodigalitas, (Aristoteli ἀσώτεια
ab α priv. & σῶζω, servo, quia nescit
servare suas facultates) vitium, quod nimis
distribuit, minus accipit: estque vel Sim-
plex, quæ temere, nulla habita ratione
decori, & sua bona profundit, & ab aliis
nihil vel honeste habere cupit: vel Mixta,
quæ & nimis dando, & nimium accipien-
do peccat, sc. dum aliis per injuriam illa
ipsa aufert, quæ aliis confert; quocirca
& prodigus est, & injustus, & quid non.
Exempla: In Græcis priscis Thessali pro-
digi opum erant, teste Athenæo l. XII.
c. 10. l. XIV. c. 32. Asiatici, quorum luxus lo-
cum dedit Proverbio; unde grævis laus
citius*

titias & sumptus immodicos ad Romanos defluxisse autor est Valer. Max. l. II. c. i. *Phocus*. Plut. in Phocione. *Q. Fabius*, qui ob profusum luxu patrimonium *gurges* cognominatus est. *Heliogabalus*, *Glaucus* &c. (β) *Extremum* in defectu est *Avaritia*, (αλεονεξία, Φιλαργυρία, Aristoteli ἀνελευθερία, *illiberalitas* voce generali, sed secundum ἔξοχὴν sumta] *vitium*, quod minus quam par est distribuit, & nimis accipit. Tali vitio laboravit *Marcus Crassus*. Plut. in Crasso & Florus. Poeta *Simonides*; unde *σιμωνιδῆς μέλη* versus *lucris causa scripti*. Plut. *Midas*. Ovid. l. II. *Metamorph.* Tales passim adhuc inveniuntur κομινοπρήσαι, *cumini eutores*, quorum hæc sunt κελύσματα: μηδὲν σὺν κέρδει κακὸν, *Erasm. Adag. Lucris bonus odor de qualibet re*. *Reusner. in Symb.*

S. VIII

Nec silentio plane involvendum, quod *Liberalitatis absoluta* duas nonnulli constituant species. *Hospitalitatem*, & *Eleemosynam*. I. *Hospitalitas* (Φιλοξενία) est *liberalitas*, peregrinis & advenis, præsertim

tim probis, de victu & amictu prospiciens.
 Officium hujus virtutis est ab *una* partes
 (a) *Honeste & humaniter Hospites exci-*
pere: (β) Comiter pro ratione facultatum
tractare: Oportet enim hospitem presen-
tem diligere, abire volentem dimittere.
 Ut Homer. Odyss. 15. ex translatione, Ab
 altera parte, nempe *hospitantis: (1) in*
tempore venire, secundum proverbium;
spage hospitem intempestate. (2) Esse mo-
destum, scilicet ne nimis molestus sit ho-
spiti. (3) Boni consulere. (4) Opportune
discedere: nec enim hospitem semper o-
portet esse hospitem. Arist. l. III. Rhet.
 citante Heidero. *Μήτε πολύξενον, μηδ'*
ἄξενον; *Multorum non dicaris; neque*
nullius hospes; ut introducit Hesiodum
 Aristot. l. XI. *Eth. cap. 10: Exemplum Ho-*
spitalitatis. Insigne est Abraham, hospiti-
o Angelum increatum excipiens, Gen.
 XIX. 2. & *Loth. Gen. XIX. Hebr. xiii.*
Hospitalitatem ne obliviscimini. i. Pet. IV.
 Tit. 1. II. *Elemosyna est liberalitas, men-*
dicis & egenis de victu & amictu prospici-
ens. Dicitur ἐλεημοσύνη, ab ἐλεέω, ὦ,
misereor, & nomine ἔλεος, ἔ, misericor-
dia; inde per metonymiam in libris n. r. pro
 stipe

stipe & quovis beneficio accipitur: de qua re DOMINUS Matth. V. VI. 2. 3. 4. Luc. VI. & Paulus Rom. XII. Præcepta & exempla hujus Virtutis in Sacris passim occurrunt. Tantum de Liberalitate *absoluta*; sequitur de eadem in *gradu eminentiæ* posita.

§. IX.

MAGNIFICENTIA est virtus mediocritatem servans in magnis sumptibus honeste faciendis. Græcis μεγαλοπρέπεια, δαπάνη. Differt Magnificentia a Liberalitate (α) *Objecti quantitate*, cum hæc pro objecto habeat sumptus modicos, illa magnos & amplos. Sic Alexander M. Perillo, in petitione dotis filiarum suarum consentienti, sibi sufficere X, talenta, offert L. dicendo: *Tibi accipere tantum satis, mihi dare non item.* (β) *Subiecti diversitate*: Liberalis potest esse etiam pauper, si non dando, tamen accipiendo, vel modo utrovis; non tamen quivit esse Magnus, quia hic requiritur, & amplæ facultates, & persona splendida. (γ) *Modi agendi singularitate*: Liberalis est talis & dando & accipiendo; Magnus tantum dando & magnos impendendo sumptus, sive Sacris operibus, qua-

qualia sunt *Templa, vasa pretiosa, Scholæ,*
carum redditus & stipendia, Xenodochia, &c.
 quo nomine insignes sunt *David* 1. Par. xxx.
Salomon 1. Reg. iix. *Constantinus Magnus,*
 qui amplissima Ecclesiæ diu oppressæ con-
 cessit privilegia; *Alexander Magnus; Ptole-*
lomeus Philadelphus, qui Bibliothecam
 700000 librorum conquisivit, & Biblia
 V. T. Hebræa, a Pontifice Elezaro sibi
 transmissa, ope LXXII. Interpr. in Græcum
 transferri curavit idioma. Gloriosiss. Sve-
 ciæ Reges, *Gustavus I. Gustavus Adolphus,*
II. Carolus Gustavus, CAROLUS XI. quo-
 rum omnium magnifica in Ecclesiam, A-
 cademias, Gymnasia & Scholas extant be-
 neficia, immunitates ac donationes. Vide
 Loccenium. Sive in *Civilibus,* tam *publicis*
quam privatis, ut sunt *Civitates, Muri,*
Pontes &c. Hæc dignitate Conditores se-
 ptem mundi miraculorum, ut sunt 1. *Mu-*
ri Babylonici, 2. *Templum Dianæ Ephesina,*
 3. *Simulachrum Jovis olympici,* 4. *Pyrami-*
des Ægyptiaca, 5. *Colossus solis apud Rho-*
dios, 6. *Mausolæum,* 7. *Regia Cyri,* quibus
 annumerant *Capitolium Romanum, Hor-*
tos pensiles Babylonios &c. exvuntur; cum
 non adeo *recta intentione* talia con-

diderint; nec tam *honestatis & boni publici* gratia, quam *ostentationis*, & vanæ gloriæ.

§. X.

Extrema Magnificentiz sunt (α) in excessu Luxus, vitium in magnis sumptibus modum excedens: scilicet ubi in res viles vel minus necessarias, pecunia, quæ alias in DEI gloriam, Ecclesiæ commodum, & proximi subsidium converti potuisset, inutiliter profunditur. Ita Caligula multa contulit in histriones, gladiatores &c, Cleopatra uno haustu totam Ægyptum Antonio propinavit. Poppæa Sabina, Neronis conjux, equos suos auro calceavit: sic Plinio Pyramides Ægyptiaca dicuntur otiosa Regum pecunia, & stulta ostentatio. (β) In defectu SORDITIES, vitium in sumptibus magna decore faciendis indecore deficiens: scilicet dum in splendidis & necessariis intemperativa parsimonia, sordida tenacitas, & indiscreta ruditas adhibetur, ut opus aliquod magnificentum, necessarium & decore perficiendum, vel prorsus omittatur, vel ceptum non finiatur honeste. Exemplum præbet Imperator Galba, qui prætorianos donativum rogantes e censibus publicis, eludebat responso austero, militem legere se, non emere. Tac. l. I. hist. cap. 18. Svet. l. VIII. c. 9.

SECTIO II. κατὰ σκευαστικῆν.

QVÆST. I.

Utrum verum & adæqvatum Liberalitatis objectum sint pecuniæ? &, an proprius liberalitatis actus sit honestus pecuniarum usus? Affirm. utr.

§. I.

Object. (α) *Liberalitas occupatur circa alia etiam fortuna bona, utpote vestimenta, alimenta, & id genus toleranda vita instrumenta. E. pecunia non sunt adæqvatum Liberalitatis objectum.*

Resp. Negando Consequentiam; quia pecunia, dum late sumitur & analogice, singula complectitur, quæ pecunia sunt mensurabilia, ut vestimenta; alimenta &c. Totum quicquid homines in terra habent, & omnia quorum sunt domini, pecunia vocatur; quia antiqui quæ habebant, in pecoribus habebant. August. de discipl. Christ. c. 1. uti citat Vendel. vide Sect. κατὰ σκ. §. III. p. 805.

Object. (β) *Liberalitas versatur circa actionem & passionem; quia omnis virtus moralis est circa operationes &*

nes & passiones; *B. non circa pecunias;*

Resp. Neg. Conseqv. Liberalitas versatur circa *actionem & passionem*, ceu objectum *internum & immediatum*; circa *pecuniam* vero tanquam objectum *externum & mediatum*.

Object. (*γ*) *Pecuniae sunt objectum Justitiae Commutativae. E. non Liberalitatis.* Ratio conseqv. quia distinguuntur secundum objecta, & diversorum habituum diversa sunt objecta.

Resp. Pecuniae sunt objectum *Liberalitatis*, sunt etiam objectum *Justitiae Commutativae*, verum sub diversis rationibus formalibus; *illius* quidem quatenus pecuniae sunt nostrae, & gratis (non ex debito aut contractu) dandae dignis aut egenis; *hujus* vero, quatenus sunt debitorum, & in emptione ac venditione utroque committunt. Haec & talia contra *primum* quaestionis membrum obverti solent: quae vero sequitur objectio, tangit membrum *posterius*.

§. II.

Object. (*δ*) *Liberalitatis est accipere & custodire pecuniam. E. proprius ejus alicui non est usus pecuniae.* Antecedens patet: quia *Prodigalitati* est profunderere pecuniam.

pecuniam. Ratio consequ. est, quis custodire pecuniam & accipere, non est uti pecunia.

Resp. (a) Antecedens, si *exclusive* capiatur, verum non est; cum Liberalitatis non tantum sit *accipere & servare* pecuniam, quin potius *largiri*. (β) Ratio consequentiae nulla est: recte namque utitur pecunia, qui eam opportune servat, ut largiri queat, quando, cui, & ubi opus est. Vide Vendelin.

QVÆST. II.

An liberalitas in omnium bonorum communiōe consistat? N.

§ III

Quicquid pretio, inquit D. Rudrauff. seu nummis signatis æstimari potest, atque in vita humana honestum usum refert, liberaliter (& cum ratione) communicari potest: quod autem usum præbet turpem & illicitum, ut est *communio uxorum* &c. nec potest, nec debet communicari. Corruit ergo, si *simpliciter* & *citra restrictionem* intelligatur illud Platonis, *Eam remp. esse beatam, ubi nec meum, nec tuum audiatur*: nec non illud communi proverbio jactatum. τὸ τῶν κοινῶν

κοινῶν.

*novà, h. e. Amicorum communia sunt omnia: scil. ejusmodi dicta non illimitate & universaliter sunt capienda, ad inducendam rerum quarumvis communionem; sed restricte & particulariter, cum reservatione honestatis. Ita præcipit Scriptura, quemlibet suam habere conjugem. 1. Cor. VII. 2. Prov. II. 16. & V. 18. Sed & proprietas bonorum, magis quoque communicabilium, est licita, necessaria & honesta: (I.) Quia priorum bonorum possessio, præcipua & necessaria pars regiminis mundani, adeoque Dei ordinationis est, ut loquitur B. D. Theod. Thumm, (II.) Quia Paulus 1. Cor. VII. Christianis emptionem & venditionem non denegat: ubi vero *communio bonorum*, ibi nullus *emptioni & venditioni* locus. (III.) Quia idem Apostolus 1. Tim. VI: 17: 18. divitibus injungit, *ne superbiant, sed sint benifici: beneficentia autem in communi rerum possessione locum nullo modo obtinet.* (IV.) Quia mandatur Prov. V. 16. *ut derivemus fontes nostros foras, ut habeamus eos SOLI, nec sint alieni PARTICIPES nobiscum.* En his expresse *communione bonorum* vetari. Jubemur *panem nostrum* mandu-*

manducare 2. Theff. iiii. 12. Huc (V) referri potest Præceptum Decalogi VII, quod per Communionem illam everteretur. (VI) Exempla Sanctorum V. & N. Test. *communionem* illam pariter expungunt. His tamen nonnulla obvertuntur.

Objcã. (a) *In Ecclesia primitiva bonorum omnium erat communio.* Act. II 44. Omnes autem credentes erant *ἅπλῃ τῷ αὐτῷ*, in idem, *καὶ ἕχον ἅπαντα κοινὰ*: & Act. IV. 32. *ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινὰ*. Quibus locis abusi *Weigeliani* & *Anabaptista* communionem illam promiscuam reintrodúcere annisi sunt. Was wir haben/ soll frey seyn/ inquit Wigelius part. II. Postill. fol 255. Vide B. Thumm. *Weigelianis*. Ergo. Conseqv. prob. Quis quod perfectionem dicit Christianismi, illud prævalet dispositioni civili, ex qua lites & jurgia.

Resp. (a) *κατὰ συγχώρησιν*, de facto & de ritu Ecclesiæ Hierosolymitanæ (teste Augustino) ut loca allegata monstrant. (β) *κατ' ἄρνησιν* de jure, & quidem ad nostra tempora extendendo: factum enim illud non erat *universale*, omnes omnino homines vi quædam *coactiva* obligans, sed

sed *particulare, extraordinarium, plane speciale*, & in casu necessitatis certo fine adhibitum, scilicet ob persecutiones gravissimas, tum temporis novella Ecclesie membra quassantes: iam vero cessante hoc fine, & ratio finis cessare debet. Sed nec omnes Christianos etiam tempore Apostolorum, *communio* bona habuisse ex 2. Cor. ix. liquidissimum est. Huc accedit (Y) quod ipsi Apostoli *communio* bonorum, non ut rem *absolute* cujusdam *necessitatis*, sed *liberrima voluntatis* existimant, Act. V. 4. Imo exspirasset hunc adia phoristicum etiam tempore Apostolorum, patet ex Act. xx. & 1. Cor. xvi. Weigelianorum & Anabaptistarum testimonia refutationem non merentur, quia sunt hæretica & a Theologis refutata.

Object. (B) *Q. actu ipso fait animadversum tum in politioribus, tum in rudioribus quibusdam hominibus, illud ipsum non tantum est possibile, sed etiam actu obtinere debet in constitutione civitatis hujus vel illius. Atqui Communio omnium bonorum ita se habet. E.* Minor prob. exemplo *Essæorum*, qui in commune possidebant omnia, caritate mutua devincti,

uti

uti constat ex Porphyrio l. IV. de sacrificiis. Sic refert Adrianus in historia Alexandri M. de *Brachmanibus*; de *Habitatoribus Cuba* Martyr Decad. III. l. 1. Imo adducuntur exempla *Cannibalum*, *Dacorum* & *Anabaptistarum* modernorum.

Resp. Videtur quidem hoc argumentum svadere tum *possibilitatem* ejusmodi *Communions*, tum *decentiam*: sed videtur tantum. (α) *Essarum* cætus non constituit *Reip.* aut *Civitatem*; sed quoddam modo *collegium*; quod probatur ex eo, quia abstinuerunt *foeminis*, non habuerunt *servos*; & sic caruerunt primis condendæ *Civitatis* rudimentis, qualia sunt *Societas conjugalis*, *paterna*, & *hereditaria*. Idem de *Brachmanibus* esto *judicium*, & *Dacis*. Sed nec *Anabaptista* eo unquam potuerunt *pertingere*, ut in aliquam *reip.* *eniterentur*. (β) *Exempla* *incolarum Cuba* & *Cannibalum* non sunt hic *urgenda*, quia *predones* non *faciunt* *Reipublicam*, proprie sic dictam. Quæ *Grotius* de *Americanis* offert l. II. de *jure B. c. 2. th. 2.* vide diluata D. *Oslandro* in *Obser. p. m. 653. seqv.*

Object. (γ) *Adamus* in *statu integritatis*, aut *accepit dominatum Orbis* pro se, in indi-

in individuo, aut accepit pro tota specie, & universitate generis humani: non primum, quia dominium erat pars vel consequens imaginis divina, atque ita exclusi fuissent posterius. Ergo posterius; & consequenter de jure naturali primævo est omnium Communio & indivisa in res potestates admittenda.

Resp. (α) ου χωρητικῶς, Adamum accepisse dominium orbis pro tota specie, & universitate hominum. (β) ἀγυρικῶς: non enim ex hoc concessio mox consequitur, omnium rerum Communione jure naturæ primævo esse introducendam; quemadmodum non est consequens: Ordines Fœderati Belgii, sunt Domini & Curatores totius territorii Belgici: Ergo unusquisq; non gaudet dominio & proprietate rerum suarum: aliud enim est dominium in Communi, aliud dominium in particulari; quorum primum, non tollit secundum. Scilicet ut cum imagine divina, quam accepit Adamus in individuo, constitit imago in specie, quæ mediante propagatione fuisset se diffusura in posterius; ita dominium mediante assignatione, vel alio modo, fuisset etiam posteris communicandum, & ad illos

los transferendum. Imo eo usq; progredimur, ut durante Statu integritatis, supposita multiplicatione hominum, impossibile dicamus fuisse *Communionem* omnium, cum DEUS sit DEUS ordinis. Quæ de simplicitate ante & post diluvianorum a Grotio & aliis afferuntur, quasi eidem *Communio* bonorum ex facili fuisset futura compossibilis, vide vel ab Osiandro expensa.

§. IV.

Solent etiam quærere: (III.) *Utrum bona animi liberaliter communicari queant?* Pro *Negativa* affertur, quia majora sunt, quam ut pretio æstimari possint, & ita conferuntur, ut & ἡ̃σις & χρ̃σις eorum serventur: v.g. qui *eruditionem*, bonum *consilium*, *prudenciam* &c. alteri communicat, illa ita comūnicat, ut nec usum, nec dominiū eorū, qua esse individuale, amittat. Tenendum ergo, bona *animi*, quamvis instar bonorum *fortune* per omnia non sint communicabilia, tamen posse liberaliter aliis communicari, ad minimum ἀναλόγως. Nec satis acute dicitur, Præceptorem in docendo non communicare liberaliter *eruditionem*, sed saltem *laborem*; cum illud vere communicari dicatur, quod ab alio transfunditur,

funditur in alium. Labor itaque tantum est *medium*, per quod applicatur & traditur scientia. Vide Rudrauff.

S. V.

Si quærat (iv.) *An, qui pauperibus benefacit, CHRISTO DOMINO benefaciat?* Affirmativa fundatur in Matth. XXV. 40. *Amen dico vobis, quatenus fecistis uni horum fratrum meorum minorum, mihi fecistis.* Qua vero ratione id fiat, e Schola Theologorum liquet. Nos respondemus. inquit B. D. Christ. Matth. Syst. Ech. l. iii. quod attributa, quæ de CHRISTO propter assumptam humanam naturam enunciantur, duorum sint generum; quædam sunt (α) *absoluta*, quæ ipsi tribuuntur in propria persona, ut *ambulare, stare &c.* quædam sunt (β) *relativa*, quando propter *ὀικετώσις*, per *condemnationem*, & *appropriationem* illa de CHRISTO DEO prædicantur, quæ non ipsi, sed membris corporis ejus mystici eveniunt. Sic CHRISTUS dupliciter dicitur pati, (1) *σαρκινῶς*, in carne & corpore suo naturali, modo quo passus est tempore visibilis suæ in mundo conversationis. (2) *σπυριτωῶς*, in corpore suo mystico

myſtico, Eccleſia: Eph. I. 23. Ratio aſſer-
tionis eſt, arctiſſima illa capitis CHRISTI
& membrorum, hoc eſt, Electorum, u-
nio; unde admirandam *συμπάθεια* ori-
ri eſt certiffimum. Ergo qui pios affli-
git, contriſtat, & blaſphemiis onerat, ſci-
at ſe CHRISTO Domino id feciſſe, quem
aliquando videbunt a ſe tranſfixum. Apoc.
I. 7. Aſſirmatur itaque quæſtio, non in
ſenſu *abſoluto*, ſed *relativo*. Hac ſere ſic
laudatus auctor.

Si præterea quærat (V.) *An Pauper
poſſit eſſe Liberalis, & Magnificus?* Reſp.
(a) Pauper, extreme talis, poteſt dici li-
beralis *fundamentaliter & affective*, li-
cet non *habitualiter & effectivè*. (β) Pau-
per de præſenti, de præterito dives, poteſt
liberalis dici, ſi non *actu ſecundo & effe-*
ctive, tamen *actu primo, habitu, & affecti-*
ve. (γ) Pauper *reſpectivè* talis, non *ſim-*
plicitè, poteſt eſſe liberalis & *affectu &*
effectu, & *actu primo & ſecundo*. (δ)
Pauper poteſt eſſe liberalis *accipiendo &*
aſſervando acceptum. (ε) Pauper non pot-
eſt eſſe *magnificus* habitu aut effectū.

Ad Quæſtionem (VI.) *An prodigus
ſit avaro melior*, ſumpto comparativo
abu-

abusive? Affirm. quia (a) *Prodigalitas* magis accedit ad mediocritatem, vel naturam Liberalitatis, quam *Avaritia*. (β) Quia *Prodigus* plerunque est curabilis, *avarus* incurabilis: hinc Diogenes interrogatus, *quenam fere omnium pessima?* respondit: In montibus leones & ursi; in civitatibus vero publicani & avari. *Semper avarus eget. Crescit amor numi &c.* (γ) Quia *prodigus* multis, *avarus* nemini, ne sibi quidem ipsi, prodest: quocirca Socrates facete monuit, *neque a morsuo colloquium, neque ab avaro petendum esse beneficium.* Avari comparantur *Tantalo*, qui medias inter aquas sitit. Hom. (δ) *Prodigo* non tot incumbunt mala, ac *avaro*: avaritia namque omnis improbitatis metropolis, teste Bione: *Radix omnium malorum.* 1. Tim. VI. 19.

Si quaeratur (VII.) *An usura licita, cum magnam cum avaritia habeant affinitatem?* Resp (α) *Usura lucratoria, mordens & perdens* est illicita. Deut. XXIII. 20. (β) *Usura compensatoria*, nisi exigatur ab homine proflus indigo, (qui gratis sublevandus. 2. Cor VIII. 14.) & si sit *mediocris*, est licita, (γ) *Usura panico-*
ria

ria etiam admittitur. Plura hac de re
in Politicis circa doctrinam *Contractuum*.

S. VI.

Ad Quæstionem (VIII) *An Magnificen-*
tia specie differat a Liberalitate? Respon-

detur *negando*. Quæcunq; enim differunt
specie, illa per formas opppositas differunt,
neque subordinantur sibi, neque unum de
altero affirmative prædicari potest: atqui *Magnificen-*
tia subordinatur *Liberalitati*, ut
omnis *Magnificus* necessario sit *Liberalis*,
in magnis & præclaris sumptibus faciendis,
quævis non contra. E. specie non differunt:
verum ut virtus *heroica*, circa τὰ Φοβερά,
est excellens *Fortitudo*, ita *Magnificen-*
tia comparata est in ordine ad *Liberalitatem*. Con-
trarium urgent, Simon *Evenius* in Col. Eth.
disp. viii. Georg. *Gurkius*, Coll. Eth. D. vii.
Ob. Q. differunt Fine subiecto, objecto, &
modo agendi; illa specie differunt: atqui *Li-*
beralitas & *Magnificen-*
tia differunt Fine,
Subiecto, obj: & modo agendi. E. specie dif-
ferunt. Min. probatur: (α) *Liberalitas* pro
Fine habet honestatem privatam, *Magnifi-*
centia publicam, & clarum reip, decus. (β)
Liberalitas, quæ subiectū, est in homine com-
munis ordinis, privato, & modicorum o-
pum

pum Domino: Magnificencia in Caesare, Rege, Principe, & alias Heroe, amplissima- rum opum domino. (γ) Liberalitas, ratione *objecti*, est sumptuum modicorum & mediocrium, Magnificencia sumptuum ingentium & plerumque publicorum. (δ) Liberalitas, ratione *modi*, consistit in dando & accipiendo; Magnificencia tantum in dando vel impendendo,

Resp. (α) *Subsectorum* diversitas non efficit discrimen essentialia, sed tantum accidentale; sic anima Petri est in alio subiecto, quā anima Pauli, non tamen differunt specificē & essentialiter. (β) *Objectum* utrobique est idem, nempe *sumtus*, vel *pecunia*: quamvis gradu differat hic & ibi. (γ) *Finis* utrobique idem, licet modificatus, scilicet honesta utilitas: *Formale* itidem, honestas, aut mediocritas. (δ) *Modus* non infert differentiam essentialia, sed accidentalia. Negatur ergo consequentia.

SECTIO III. ἀξιοπραξικὴ. (Cic. l. i. off.

- I. Liberalitate nihil est naturae accommodatius
- II. Dare est beatius, quam accipere. Act. xx.
- III. Liberalitas non facit syllogismum; scilicet negativum, bene tamen discretivum.
- IV. Accipere aurum, & vendere Christum, omnium scelerum extremum est. CAP.

Ad

Ornatissimum Respondentem,

DN. MICHAEL. STIGELIUM
JUNIOREM,

Anagramma:

MICHAEL. STIGELIUS J.
IS TU LEOS ELIACHIM

Elaboratio:

En avus ELIACHIM fuerat ma-
ternus Jesu,
Tu LEOS, entheus is, fac imi-
tere pium.

L. Mg

ENEVALD. SVEN.

Q. G. A.

S. S. Th. D.

*Honestissimarum Artium, Virtutumque Asso-
cle indefesso,*

DN. MICHAELI STIGELIO
Nylando,

Vires suas publicè Disputando periclitaturo,

Amico & Commiliti perpetim dilecto:

MICHAEL STIGELIUS NYLANDUS,

Per Anagr:

Agri CHYLUS. SUDAT. NIL. NISI. MEL.

Elaboratio:

Dic AGE quid CHYLUS Medicis signare
peritis

Affolse? & Physicis significare, refer?

Quod candens humor, qui dummodo coctio durat,

Per niveas venas sudas & attrahitur.

Exsuffare suis, de, quid sapientia venis,

Dic siveis? NISI MEL, NIL dat ea, aërium.

Sic solers prabet prudentia, munera Mellis

Hyblæi, mentem quod recreare potest.

Ergò, sapis mi Stigeli, vestigia rara

Virtutis, gnarus dum premis & sequeris.

Felici pergas pede! Numen coepta secundet!

Nomen, fama, decus crescat ut inde tibi!

Ex animo, utut properitèr
accinebam

SIMON Tälpo/

Met. & Log. Prof. Ord.

Literis & morum concinnitate Politis.

simo Juveni,

DN. MICHAELI STIGELIO,
Amico suo singulari, Disputatio-
nem hanc *de Liberalitate & Ma-*
gnificencia erudite des-
fendenti:

Perdit *avarities*, stygiis innexa ca-
renis,

Proh dolor! in mundo, millia
multa hominum;

Cum tamen in tenues deceat nos
esse benignos,

Et quo quisq; caret, sponte care-
re bono.

Hospitio dextras conjungere, recta
subire,

En, docet hic MICHAEL; quem manet
amplus honor.

Ex animo gratulatur

AND. WANOCHI

Alexander Sextus, Pontifex Romanus, natione vero Hispanus, cum Ferdinandum Catholicum, Hispania Regem, nuper inventa America donaret, non immerito improbata est ejus liberalitas ab Attabalba Peruvia Rege hisce verbis: illum donatorem esse infignitèr stultum inde patet, quod aliena tam liberalitèr largiatur; Verba certè auro cedroq; digna, quibus prudenter monuit barbarus ille (hac in re minime barbarus) inter alia vera liberalitatis requisita, etiam debere virum liberalem ejuscemodi bona largiri, quæ neutiquam aliena, sed sub Donatoris dominio sunt; sin minus, tantum abest, ut is, qui res alienas donaverit, liberalis sit dicendus, ut potius ostentatoris, quin & deceptoris titulum optimo jure faciat suum. De Liberalitate quoniam disputare animum induxisti tuum, Præstantiss: Dn. Stigeli, animitus gratulor egregio tuo ingenio, quod tam nobili delectatur argumento, quod tam honestos conatus tam præclara studia sectatur. Vide diu, & omnium spem optime de Te conceptam imple; Ut omnis boni dator DEUS edictionem amplam Tibi tuisq; studiis benilargiatur, nunc & semper debebo. Vale
à Tuo LAURENTIO STACHÆO.